

FERIA QUINTA IN COENA DOMINI.

EVANGELIUM JOANNIS XIII.

Ante diem festum paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ, sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit, surgit a cœna, et ponit vestimenta sua. Et cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum, et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes? Respondit Jesus et dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Jesus: Si non laveris te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput. Dicit ei Jesus: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes; sciebat enim quisnam esset qui traderet eum, propterea dixit, Non estis mundi omnes. Postquam ergo lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua, cum recubisset, iterum dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magister et Domine, et bene dicitis, sum etenim. Si ergo lavi pedes vestros, Dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.

CONCIONES.

- I. *Lotio pedum quid doceat, mandet, suadeat.*
- II. *Institutionis eucharistiæ causæ seu fines tres.*
- III. *Cur sub panis et vini speciebus instituerit Christus eucharistiam.*
- IV. *Circumstantiæ reliquæ institutionis eucharistiæ.*
- V. *Attributa Dei in s. eucharistiæ resplendentia.*
- VI. *Agni paschalis esus, typus eucharistiæ sumptus a Christianis.*
- VII. *Judæ salutantis osculum quinam imitentur.*
- VIII. *Documenta.*

IX. *Mysteria.*

CONCIONES AUCTARIÆ.

- I. *Cur laverit Christus pedes discipulorum.*
- II. *Qua ratione alter alterum lavare possit ac debeat.*
- III. *Magnitudo amoris divini in s. eucharistia.*
- IV. *Cur a nobis sumi per modum cibi Christus in eucharistia voluerit.*
- V. *Mirabilia quædam in eucharistia, a nobis etiam suo modo patranda.*

CONCIO I.

LOTIO PEDUM QUID DOCEAT, MANDET, SUADEAT.

- I. Est exemplum: 1. Dominis. 2. Servis. 3. Paribus. —
- II. Documentum quomodo redempti simus. — III. Præceptum peragendæ pœnitentiæ.

THEMA.

Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis. Joann. XIII.

Non exemplum tantum, verum et documentum, et præterea præceptum dedit nobis Dominus in lotionem pedum apostolorum. Exemplum

dum prævit nobis in opere humilitatis, nullis retro sæculis audito. Documentum, dum instruxit nos ea cœremonia, quid nostræ salutis causa fecerit, ut nos redimeret. Præceptum, dum eo facto tacite præscribit legem pœnitentiæ et dispositionem necessariam ad s. communionem. Igitur hæc tria accuratius expendamus.

I. Dedit exemplum dominis, servis, paribus. Dominis ut sciant prudenter sese gerere erga suos subditos. Primo, memores sint humilitatis, nec despiciant pauperes et subditos suos, sed condescendant illis. Ecce enim Dei Filius, cui cœlestis Pater omnia in manus tradidit, incipit servire servis suis, genua coram eis submittit et lavat eorum pedes. Quis tale unquam spectaculum vidit? *Quid superbis, terra et cinis*, videns Deum tuum adeo se demittere? Hoc ergo tam stupendo exemplo excitati quam plurimi terræ domini, idem imitari magna æmulatione studuerunt. Imprimis Romani pontifices, qui hodierno die pauperum pedes lavant; quemadmodum ipse vidi. Deinde reges et principes, ut Theodosii senioris et Maximi, imperatorum conjuges, in hist. eccl. lib. II. c. II. hodieque Galliæ reges, qui duodecim mendicis hoc die pedes abluunt, et lautum epulum præbent. Postea episcopi et prælati. S. Thomas Cantuariensis episcopus honori sibi duxit pauperes tredecim quotidie convocare, flexis genibus pedes eorum lavare et cœnantibus ministrare, ut refert Heribertus de Hoschan, in ejus vita apud Sur. to. IX. idem fecit S. Carolus Borromæus cum proceribus civitatis Mediolanensis in jubiliæo habito Mediolani, anno 1573. fitque Romæ a cardinalibus, episcopis aliisque urbis optimatibus quovis jubiliæo magna contentione, et ut ita dicam, pia ambitione. Elapsi anni 1600. jubiliæo Clemens papa VIII. ipsemet obiens hospitalia, peregrinorum pedes lavit et necessaria eis providit, teste Bellarmino in chronologia sua. S. Martinus eodem Christi exemplo edoctus serviit vicissim famulo suo, calceos ei detrahendo, cœnanti ministrando, Sulpit. in ejus vita.

Secundo, memores paternæ sollicitudinis, ut prospiciant iisdem subditis et pauperibus de rebus necessariis, adsint in adversis, atque ita velut lavacro labores eorum leniant, quemadmodum et Christus sordes discipulorum abstergere non erubuit. Imitata est hoc exemplum inter alios S. Fabiola nobilissima Romæ matrona, de qua Hieronymus in ejus epitaphio scribit. « Quoties morbo regio et pedore confectos humeris suis ipsa portavit? Quoties lavit purulentam vulnere saniem, quam alius aspicere non valebat? Præbebat cibos propria

manu et spirans cadaver sorbitiunculis irrigabat. » Pari modo S. Elisabetha regis filia et Thuringiæ princeps non erubuit mendicorum, afflictorum vulnera tergere, crinem pectere, caput lavare, plagas vero capitis suis circumligare, leprosis ministrare, apud Murul. lib. I. cap. V. Viderint porro ii, qui subditos suos egenos et forte animam agentes, veluti canes essent, deserunt, quam longe recedant a Christi exemplo.

Tertio, memores sint debitæ correctionis, cum indigebunt subditi, ita nimirum ut eorum errores primo suavi admonitione velut aqua abluant, deinde linteo moderatæ punitionis, si opus fuerit abstergant: non abradant cutem.

Secundo, servis, ut industrie et solerter servitia sua obeant, quemadmodum et Christus hodie ministravit suis discipulis. Unde ait Lucæ, XXII. *Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.* Jam qua ratione ministravit Christus? Primo, surrexit a cœna, ut perageret lotionis ministerium: ita ergo et servi nihil non libenter deserant, ut exequantur jussa, atque ut res dominorum curent, etiam cœnam suam abrumpan. Secundo, posuit vestimenta sua: pari modo servus, quod agit, graviter et serio agat tamquam redditurus aliquando rationem, et hero suo et Deo. Qui strenue laborare volunt, vestibus se expoliant: pigri autem servi minime id faciunt. Tertio, præcinxit se linteo: facient hoc et servi, si candide et sincere, non fiete et ad oculum serviant. Quarto, misit aquam in pelvim: ita etiam servi decore et industriæ omnia sua peragant, rem domini cordi habeant et promoveant, ac si esset propria: nihil in heri damnum effundant aut abjiciant, quod usui esse potest. Quinto, lavit pedes discipulorum; ergo, subditi non detrectent obire munia licet vilia et sordida. Sexto, extersit linteum: quod etiam facient servi, si dominorum famam, honorem, opes, aliaque pro viribus defenderint; tametsi propterea ipsi pati aliquid debeant.

Tertio, paribus, ut mutuae charitatis officia alter alteri exhibeat. Ait enim Dominus: *Et vos debetis alter alterius lavare pedes.* Quemadmodum ergo Christus dum pedes discipulorum lavit et abstersit, eorum sordes in se transtulit: ita et nos defectus et peccata proximorum quodammodo abstergemus, si compassi ipsis fuerimus, si in spiritu lenitatis eos instruxerimus, si frater-nam correctionem adhibuerimus, si pro ipsis oraverimus, si eorum peccata voluntariis jejuniis, eleemosynis vel flagellis expianda in nos susceperimus. Huc respexit apostolus cum ad Gal. VI. dixit: *Alter alterius onera portate et sic*

adimplebitis legem Christi. Legem inquam illam, quam et ipsa lotionem insinuavit, et mox postea aperte tradidit, scilicet: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Onera vero quid sunt nisi peccata? *Hoc onus vicissim alii ab aliis tollimus quoties operam damus, ut hi qui peccaverunt et lapsi sunt, respiciant.* Porro quemadmodum Christus non discipulis tantum, sed etiam proditori suo pedes lavit et abstersit, ita non amicorum solum, sed etiam inimicorum peccata supportare, tegere et tergere decet Christianos.

II. Documentum omnibus et singulis, ut inteligeremus quid et quantum fecerit nostræ redemptionis gratia. Hac enim lotionem materiali adumbravit aliam mysticam longe nobiliorem, quæ lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, ut ait Joannes, Apoc. I. et exponit Sanctus Augustinus, tract. LV. in Joan. Primo, enim surrexit a cœna, cum e sinu Patris et gloriæ cœlestis prodit offerens se in redemptorem generis humani. Secundo, posuit vestimenta sua, cum gloriam et majestatem divinitatis suæ tegens, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens et habitu inventus ut homo. Tertio, linteo se præcinxit cum se carne mortali vestit, contexta quidem illa artificio Spiritus Sancti ex purissimo Virginis sanguine quasi ex filis tenuissimis. Quarto, misit aquam in pelvim, cum in circumcissione, agonia, flagellatione, coronatione, crucifixione, sanguinem suum pro nobis adeo copiose et prompte effudit ac si fuisset aqua tantum, juxta id Ps. XXI. de passione scripti: *Sicut aqua effusus sum.* Pelvis terram sterilem, vel sacramenta notat: hæc quoties suscepimus, toties Christi sanguine abluimur. Quinto, lavit pedes nostros sive quando se obtulit tortoribus, sive quando pretium nostræ redemptionis pretiosissimum scilicet sanguinem suum pro peccatis nostris Deo Patri obtulit; sive quando sacramenta instituit. Sexto, extersit linteo suo, quando omnes peccatorum nostrorum sordes in se transtulit et in cruce expiavit, quasi essent ipsius propriæ, juxta prophetiam Isaïæ, cap. LIII. *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Et mox: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Hinc ergo nos mundati quidem et Deo reconciliati sumus, ipse vero in cruce totus deformatus et a Patre derelictus fuit. Unde Isaïas ibidem ait: *Putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo.* Quis vero eum impulit in hanc calamitatem? Amor, quo, ut ait Joannes, *in finem dilexit nos;* adeo nimirum, ut magis diligere non posset, ut exponit Rupertus. Qui nimium incalcescit, vestes exuit. Incaluerat Dei Filius hominum amore, ideo propter eos exuit se vesti-

mentis suis, lavitque scelera nostra tanto suo sudore. Nimirum si non lavisset, perissemus nos, nec vel minimam partem potuissemus cum ipso habere. Quare quisquis esse vult particeps regni Christi, sit particeps lotionis in susceptione sacramentorum. *Nisi enim laveris te, inquit, non habebis partem mecum.*

III. Præceptum peragendæ poenitentiae dedit omnibus accessuris ad mensam eucharistiæ: siquidem lotionem hanc peregit ante institutionem eucharistiæ: ideoque statim explicans, quid sibi vellet ea lotio, subjecit: *Quod ego facio nescis modo, scies autem postea.* Mox enim instituit examen conscientiae inter discipulos dicens: *Unus vestrum me traditurus est.* Unde ceperunt singuli se disquirere: *Numquid ego, etc.* Quod quidem luculenter postea expressit Paulus, cum historiam cœnæ Domini recensuit, dicens: *Probet autem seipsum homo, etc.* I. Corinth. XI. Ecce autem præceptum colligitur ex eo: *Nisi laveris te, non habebis partem mecum,* id est, non participabis de mensa mea. Declaravit etiam Concilium Tridentinum poenitentiam et confessionem post admissum lethale peccatum præmittendam ex præcepto s. communioni. Mos erat veteris legis sat frequens lavare ante comestionem pedes. Ita Abraham attulit aquam, qua lavarentur pedes hospitem, Gen. XVIII. Ita fratres Joseph, antequam cum eo comedant, allata ad eos aqua jubentur lavare pedes, Genes. XLIII. Ad quid vero pedes, et non os, aut manus? Pedes secundum Augustinum, tract. LVI. in Joan. affectus humanos denotant, quia sicut a pedibus rapitur, quo tendit corpus; ita ab affectibus internis animus ad externa opera. Iræ affectus hominem ad vindictam rapit, amor turpis in libidinem, avaritia in rapinas, invidia in detractionem. Ejusmodi pedes erant Judæ: sinister erga Dominum affectus, et voluntas tradendi. Quid igitur? Lavandi sunt in confessione pedes isti manu sacerdotis, capiti poenitentis imposita et dicentis: *Absolve te.* Affectum ponderat Deus, non effectum, et juxta affectum poenitentis valet hæc ablutio. Non lavat tibi os confessarius, quo ais te penitere et emendare velle, quia mentiri potes. Non lavat tibi manus, quibus externo habitu te monstras poenitentem, quia hypocrita esse potes. Pedes lavat, juxta affectum tuum absolvit te, si nimirum vere et sincere doleas et confitearis.

Sed quod ais, est illud examen? Quæ ablutio? Ponderemus acta Domini. Is primo surgit a cœna. Surge et tu peccator a peccatorum convivio. Cum quo enim cœnas? Cum Juda, cum diabolo; nam, *unus ex vobis diabolus est,* ait Dominus. Sed hoc non vides, quia cœnas, quia in

CONCIO II.

INSTITUTIONIS EUCHARISTIE CAUSÆ SEU FINES TRES.

I. Ut sit memoriale Salvatoris. — II. Ut sit sacrificium altaris. — III. Ut sit cibus et nutrimentum nostrum.

THEMA.

Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Joan. XIII.

Scitis, auditores, quanta mala intulerit primis nostris parentibus, totique generi humano arbor illa vetita et contra Dei mandatum degustata, toxicum enim et venenum fuit omnibus hominibus: sed hodierno die Christus præsentissimum antidotum et theriacam huic veneno præparavit, sanctam eucharistiam, quam hodie instituit, et horto Ecclesiæ suæ inseruit velut arborem vitæ contra arborem mortis. Itaque recte dicimus cum evangelista: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Dilexit sane nos etiam in paradiso, quando paterne monuit ne arborem vetitam attingeremus utpote mortiferam. Sed in finem et extreme dilexit nos, cum etiam prævaricatores morti addictos iterum sanavit præclara illa theriaca corporis et sanguinis sui. Hoc vero ut digne æstimemus, videamus fines, quorum gratia instituit tantum mysterium.

D. Thomas opusc. LVIII. cap. I. tres assignat fines: memoriam Salvatoris, sacrificium altaris, cibum hominis: contra tria videlicet mala, quæ ex primo illo peccato contraximus; quæ sunt oblitio Dei, furtum cui obnoxii eramus, et virus quo ob esum pomi infecti. Primum malum indicat Ecclesiasticus, capite. X. *Initium superbiæ hominis apostatare a Deo, quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor ejus.* Nimirum per oblivionem. Dæmonem enim primi parentes dum audierunt, hoc ipso Dei mandatum quasi oblitum posthabuerunt. Alterum malum indicatur, Genes. III. cum dicitur: *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum et pulchrum oculis aspectuque delectabile: et tulit de fructu illius et comedit de ditque vtro suo.* Ecce furtum, quo se obstrinxerunt. Tertium indicatur, Genes. II. a Deo dicente: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* En mortiferum venenum.

I. His itaque malis tollendis instituta eucharistia et primo, ut esset memoriale Salvatoris contra oblivionem Dei. *Hoc,* inquit Dominus, *facite in meam commemorationem.* Sed quæ illa commemoratio? Primo, amoris Domini, quo, ut testatur Joannes, *in finem dilexit suos,* hoc est, adeo vehementer, ut non posset magis, ut exponit Rupertus. Qui ergo scire vult, quantus fuerit erga nos amor Dei, in hoc divinum sacramentum

deliciis versaris. Quis tibi foret animus, si scires te cœnare cum latronibus qui te adoriri et occidere quærent? Nonne statim surgeres et fugam molireris? Certe Dominus ob præsentiam Judæ turbatus est spiritu et protestatus est, quia unus ex vobis tradet me, Joan. XIII. Cur non turbaris tu, et quasi de vi illata tibi protestaris, cum te mundus, caro, dæmon laqueis suis retinet?

Secundo, ponit vestimenta sua. Depone tu peccata tua in aurem confessarii, denuda coram illo tuam conscientiam; et si quos habes pravos habitus tibi adherentes, exue saltem quoad affectum, ut in iis tibi non placeas, sed displiceas potius, studeasque eos deponere.

Tertio, linteo se præcinxit. Fac tu hoc peccator, proponendo firmiter vitæ emendationem, eoque sancto ac candido proposito temetipsum stringe et constringe, ut quodammodo impotens ad peccandum fias.

Quarto, misit aquam in pelvim. Adhibe et tu lacrymas contritionis, vel dolorem saltem de peccatis tuis. Quod si lacrymæ non fluant, dole quod non fluant et dic cum Jeremia, cap. IX. *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? Et plorabo die ac nocte.*

Quinto, lavit discipulorum pedes. Facit hoc sacerdos qui te abluit, cum absolvit. Facis etiam tu, cum te sacerdoti abluendum præbes. Porro noli pedes tuos retrahere cum Petro, et infra scamnum abdere: noli excusare palliare aut celare peccata tua, die potius cum eodem Petro melius sentiente: *Domine, non tantum pedes, sed et manus et caput.* Nisi enim laveris per sinceram confessionem, non habebis partem in regno Dei.

Sexto, extersit pedes linteo. Tersio hæc satisfactio est, pars ultima poenitentiae, quæ reatum pœnæ tollit, si non prorsus, saltem ex parte: præterea hominem sanat (si congrua sit) et tergit ne tam facile rursus sordes contrahat (madidi enim pedes magis attrahunt sordes, quam tersi) juxta id Cant. V. *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Hujusmodi linteum et tersorium est oratio, jejuniun et eleemosyna, aliæque pietatis opera post peractam poenitentiam adhibenda et s. communioni præmittenda. Neque enim decet ut madidis adhuc pedibus seu mente indisposita mox a confessione ad mensam illam curramus. Tergendi prius inordinati affectus; mens in Deum elevanda; meditanda divina beneficia a Christo partim percepta, partim percipienda: quod indicat illa exhortatione post lotionem factam Christus: *Scitis quid fecerim vobis?* Ergo auditores, imitemur ducis nostri exemplum, audiamus doctoris nostri documentum, impleamus legislatoris nostri præceptum, etc.

oculos conjiciat. Verus amor et vehemens optat unionem et facere se unum et idem cum amato. Hinc enim qui amat, omnes suas actiones, sensus et cogitationes transfert in rem amatam, ita ut actu non in amante sed in amato inveniantur. Hoc fecit in eucharistia Christus, dum a nobis sumi, adeoque nos sibi incorporari et intime uniri voluit. Verus amor solet benefacere amato, eumque facere participem omnium bonorum suorum. Fecit et hoc Christus, dum in eucharistia seipsum nobis praebeat cum carne et sanguine, omnibusque meritis et thesauris suis, quos per sacrificium carnis et sanguinis sui acquisivit. Quemadmodum enim Elias amorem suum erga discipulum Elisæum demonstraturus, cum tolleretur curru igneo, reliquit ei pallium et duplicem spiritum suum, ut ita partim in Elisæo deorsum degeret: ita Christus Dominus in caelum ascensus, Ecclesiae suae in amoris signum reliquit pretiosissimam vestem carnis suae, ut partim in caelo inter beatos, partim in terra inter viatores versaretur, et per hoc in nos spiritum suum transfunderet eumque duplicem, ad amandum Deum et proximum; ad faciendum bonum et vitandum malum; ad faciendum et docendum; ad agendum et contemplandum, etc. Veri amoris est quærere amorem reciprocum; et sæpe amor tam est vehemens, ut hunc per philtrea et pocula amatoria nitatur obtinere; ad hæc quandoque se transformat, et, ut ita dicam, transvestit in formam alteram, ut amati presentia frui possit. Usque etiam hoc pervenit amor Christi, qui ut amore suo reciproco nos accenderet, buccellam nobis talem temperavit, quæ sacris verbis consecraretur; transformavit etiam se in speciem panis, ut intime nobis jungi posset. Verus et tener amor solet dare amato placita et jucunda, quemadmodum patres filiolis emunt ensiculos, aliaque crepundia. Idem fecit Dominus, qui sub specie panis et vini sacramentum hoc instituit et speciem suam occultavit; ut præberet nobis dulcedinem et refectio-nem spiritualem absque nostro horrore. Veri amoris est, desiderare presentiam amati, eique semper adesse. At Christus hoc sacramentum ita instituit, ut semper in eo nobis adesset, quamdiu species sacramenti perseverant, atque adeo ut inter nos semper habitaret, si nos velimus, non obstante eo, quod in caelum ascendit et sedet ad dexteram Patris. Denique vere amans pergit etiam amare, quando subinde ab amato male excipitur, nec absterretur statim ejus ingratitude. Christus se communicat in hoc sacramento multis etiam ingratissimis, qui male et indigne eum accipiunt: quodque obstupescendum est, quæ-

rit amorem hominum, a quibus ipse non pendet, sed qui ab ipso tanti quanti sunt dependent, ideoque ipsius amorem omnibus ambire modis debent. "Næce quod instituerit hoc sacramentum, quando sciebat sibi parari a Judæis crucem et necem. Annon igitur hoc sacramentum memoriale est amoris divini?"

Secundo, vitæ et passionis Domini. Est enim eucharistia primo memoriale vitæ Domini. Quæ ratione? Primo, pronuntiat Deiparæ verbis: *Ecce ancilla Domini*; mox verbum caro factum est et habitavit in nobis; similiter post verba consecrationis statim adest in eucharistia Christus et habitat inter nos. Secundo, Christum in lucem editum venerati sunt pastores et magi: ita Christum a consecratione statim adorant sacerdotes et populus. Tertio, Christus quadragesimo a nativitate die templum est ingressus; idem in sancta hostia paulo post consecrationem ingreditur ad communicantem quasi in templum suum. Quarto, Christus Herodem fugit et patriam suam deseruit, tenera adhuc in ætate: idem non multo post communionem recedit a communicante, quando scilicet corrumpuntur species: sed ab improbis et in peccata relabentibus fugit. Quinto, Christus aquam in vinum vertit: et hic panem et vinum mutat in corpus suum. Sexto, in mortali vita degens modico pane maximam hominum multitudinem pavit: in s. eucharistia pascit modica hostia Christianos omnes. Septimo, inter homines vivens morbos depulit, leprosos sanavit, mortuos excitavit; eosdem effectus exhibet spiritualiter digne communicantibus.

Secundo, memoriale passionis Domini. Nam in sacrificio missæ obicitur nobis velut mortuus et exsanguis, dum sub specie panis et vini separatim exhibetur, quarum altera seorsim representatur caro, altera vero sanguis; præsertim cum sub una specie sumitur, mors Domini clare exprimitur. Quoties ergo sacrificio huic intersumus, quoties inde participamus, toties nobis Christum velut pro nobis mortuum ante oculos ponamus. Non tradamus oblivioni tantæ rei memoriale, quod per Job, c. XVI. monuisse videtur Christus: *Terra ne operias sanguinem meum*, id est, noli terrenarum rerum amore obruere et oblivione sepelire beneficium passionis meæ, ut exponit Philippus presbyter.

II. Ut esset sacrificium altaris Deo offerendum, in compensationem furti in eum olim patris. Hoc etiam indicavit Dominus, cum in eucharistiæ institutione dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, q. d. Sic conficite et offerte eucharistiam in mei memoriam, qui me obtuli

pro vobis Patri in cruce figendum modo veri et cruenti sacrificii, hujusque oblationis memoriam posteris representate. Hinc ergo Christiani, inquit S. August. I. XX. contra Faustum, c. XVIII. *Jam peracti sacrificii in cruce memoriam celebrant sacrosancta oblatione et participatione corporis et sanguinis Christi*. Optime vero et sapientissime hoc Christus egit. Primo, ut cruenta illius oblatio perfecte nobis representaretur, nosque ad gratiarum actionem excitaret. Hinc Eusebius Emisenus: « Quia corpus, inquit, assumptum Dominus ablaturus erat ab oculis nostris et sideribus illaturus, necessarium erat, ut nobis sacramentum corporis et sanguinis sui consecraret, ut coleretur jugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium: ut quia quotidiana et indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua esset etiam redemptionis oblatio, et perennis illa victima viveret in memoria. »

Secundo, ut religio christiana suum haberet suaque sublimitate dignum sacrificium. Quotidie offendimus divinam majestatem, et interim continuo beneficia ab ea capimus: quotidianis ergo sacrificiis eam nos placare et gratias ei referre debemus. Nulla fuit gens tam barbara, quæ non haberet sacrificium, quo Deum vel deos suos placaret. Scimus sacrificium Melchisedech, in pane et vino positum; sacrificium Judæorum in agno, simile et aliis peractum: sacrificia gentilium in thure, croco, farre, frugibus, pecoribus, etc. Hæc inania et superstitiosa fuere: vetera vero illa fidelium figura tantum partim cruenti Christi sacrificii, partim incruenti nostri fuere. Cum ergo figuratum excedere debeat figuram, quemadmodum corpus excedit umbram, et res ipsa ac veritas picturam, fit ut oblatio Christianorum tantum excedat oblationes aliorum, quantum Christus excedit Melchisedechum vel Aaronem.

Tertio, ut hujus oblationis iteratione applicaretur nobis fructus cruenti sacrificii, tametsi is nobis applicari etiam modis aliis queat. Habet sane sacrificium Christi cruentum vim æternam et infinitam, ita ut non sit opus alio crucis sacrificio, seu ut alius Christus moriatur pro nobis, aut ut idem Christus sæpius moriatur: non tamen ita, ut nullo prorsus opere vel labore opus sit ex parte nostra (alioquin enim et baptismus et sacramenta alia vetera, denique sacrificia frustranea et superflua fuissent.) Quid igitur adhuc requiritur? Memoria tanti beneficii et applicatio, ut fructum ejus participemus. Utrumque fit per fidem, sacramenta aliaque instrumenta a Deo ad hoc ordinata. Ut ergo non sequitur:

Confecta est theriaca, ergo nullum jam venenum mihi nocere potest. Vel: Arbor vitæ in medio paradisi posita fuit, ergo non potuit mori Adam. Vel: Herbarum et arborum habent in semetipsis semen suum, ergo non est opus plantatione, terræ proscissione, seminatione, etc. Ita non sequitur? Sacrificium crucis habet infinitam vim, ergo superflua sunt sacramenta et sacrificia novæ legis. Utendum est theriaca, ut venenum pellat: sæpius delibanda erat arbor vitæ, ut mortem arceret: proscindenda est terra et semine inspergenda ut producat plantas. Dicet aliquis: Quid opus applicare fructum crucis per sacrificium missæ, cum sufficienter applicari possit per fidem, baptismum et eucharistiam? Respondeo: Quid opus est applicare per baptismum et eucharistiam, cum sufficienter applicari posset per fidem et sacrificium missæ? O homo tu quis es, ut dicas Deo: *Quare ordinasti sic?* Plures ad eundem terminum viæ sunt: plures etiam modi participandi Christi merita.

III. Ut esset cibus et nutrimentum animarum nostrarum, contra venenum pomi illius pestiferi. Indignit enim anima etiam nostra cibo suo, eoque præstanti et salutari. Quem vero præstantiorem et salubriorem dare nobis potuit Dominus, quam seipsum? Voluit enim ut ex ipso et per ipsum, et in ipso vivamus sicut palmites in vite, unde succum trahunt: velut etiam mater lacte suo pascere nos voluit. Porro vitæ arboris pomo tria potissimum mala in orbem innecta sunt, scilicet mentis cæcitas, morbidi corporis languor et rebellio, quam concupiscentiam vocamus, et mors. Eucharistia cæcitate mentis corrigit, quia ut aulici mensæ regis assidentes vel assistentes plura et altiora intelligunt et discunt, quam rustici aut cives, ita in spiritualibus longe oculatiores et eruditiores sunt qui frequentant eucharistiam, quam qui non frequentant. Quemadmodum ergo oculi Jonathæ illuminati fuere ex gustatione mellis, I. Reg. XIV. ita cognoverunt Dominum duo illi discipuli ex fractione panis, Lucæ. XXIV. et illuminantur alii fideles. Concupiscentiam corrigit, quia hominem immutat, et quidem modo aliquo in ipsum Christum; ut jam non quæ carnis, sed quæ Christi sunt, sectetur et diligat. Quemadmodum enim cibus et is, qui cibum comedit, unum fiunt, sic etiam Christus et is qui eum in hoc sacramento sumit, commiscetur, et unum efficiuntur juxta id: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo*. Cæterum in hac comestione non in hominem Christus, sed homo paulatim mutatur in Christum, ut unus spiritus fiat cum illo, idem